



Universitätsbibliothek Paderborn

Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et
Excessvs Amoris ...

Rodt, Franz Joseph von

Campoduni, 1680

Iod. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit
gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent
in Ecclesiam tuam. Thr. 1. v. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)



DISCVRSVS XIX.

Iod.

Vidit gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. *Thren. 1. v. 10.*

DE ECCLESIA.

Deplorat nullam Ecclesiis haberi reverentiam, in quas immunda gentes, id est, concupiscentia, & carnales sensus ingrediuntur.

INfames ac spurios, uti & incircumcisos populos, & immundos, præcipuè verò Ammonitas, & Moabitas ab ingressu Ecclesiæ proscripterat Deus, *Ammonites, & Moabites non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum.* Deplorat autem afflictum & perturbatū Synagogæ suæ statum Prophetam dum vidit gentes, non solum Chaldaeos (uti probè notat Cornelius) sed etiam Moabitas, & Ammonitas (quibus interdictus erat ex mandato Dei ingressus in Ecclesiam) ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.

Sed nec minùs hodie lamentatur & conqueritur altis suis spiritibus Ecclesia, gentes improbas, immundas, & à cultu veri Dei alienas, ingressas Ecclesiam, & templa, easque ipsum Ecclesiæ Sanctuarium possidere, terram scilicet, & civitatem sanctam, sanguine unigeniti Dei consecratam.

Notat tamen Cornelius in Deutr. cit. quòd populus immundus & incircumcissus, maxime

Deut. c.
23. v. 3.

Moabites
olim prohibiti ab
Ecclesia.

Moabit
su. i. con-
cupiscen-
tia.

ximè verò Moab, (qui inter-
pretatur de patre) tropologicè sig-
nificat concupiscentiam: quæ à pa-
tre diabolo est, item carnales sensus.
De hisce etiam immundis gen-
tibus, & Moabitibus maximè con-
queritur sancta mater Ecclesia,
quòd ipsum intrent Sanctuariū,
& Sancta Sanctorum, templa
scilicet Deo vivo consecrata;
Videt gentes has impuras, con-
cupiscentiam, & carnales sen-
sus ingressas Sanctuarium, de
quibus præceperas, ne intra-
rent in Ecclesiam tuam, & cœ-
tum fidelium.

II. Patriarcha Jacob, in Meso-
potamiam profecturus post so-
lis occasum, ad captandam quie-
tem, composito ex lapidibus
cervicali, prostratus, vidit in
somnia scalam stantem super terram
& cacumen ejus tangens cælum, An-
gelos quoque Dei ascendentes, & de-
scendentes per eam, & Dominum
innixum scalæ... Cumque evigilasset
Jacob de somno, ait: Verò Dominus
est in loco sancto isto. Ego nesciebam.
Moxque reverentiâ loci exter-
ritus Jacob exclamavit: Quam
terribilis est locus iste! non est hic
aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.
Surgens ergo Jacob mane tulit lapi-
dem, quem supposuerat capiti suo, &
erexit in titulum, fundens oleum de-
super: Apellavitque nomen urbis Be-
thel, quæ prius Luz vocabatur.
Bethel interpretatur Domus
Dei, & allegoricè significat Ecclesiã,

Deo consecratam, teste Cor-
nelio, quia in ea, quasi domo sua, Cornelius
Deus habitat per præsentiam tum hic v. 17.
spiritualem, tum realem, & corpora-
lem in Eucharistia. In domo Dei,
& Ecclesia, (conformiter an-
tiquæ observacioni & consue-
tudinè) eriguntur altaria, oleo
sacro perfusa, in titulum. Nec
est, quod A catholici nos incul-
pent, & objiciant, erigere nos
Sanctis ædes & altaria, iisque
nos sacrificare, nam (uti bene
docet Augustinus) Nos marty-
ribus nostris non templa, sicut diis,
sed memorias, (quod idem est, ac
in titulum) sicut hominibus mor-
tuis, quorum apud Deum vivunt spi-
ritus, fabricamus, nec ibi erigimus
altaria, in quibus sacrificemus mar-
tyribus, sed uni Deo, & martyrum,
& nostro sacrificium immolamus. Si-
cut etiam superius pulchrè de-
claravit idem sanctus Do-
ctor, monens sacerdotem
ad altare facientem, non dice-
re: offero tibi sacrificium Petre vel
Paule, vel Cypriane, cum apud eo-
rum memorias offeratur Deo, qui eos
& homines, & martyres fecit.

Sed, ut ad propositum meū
revertar, domus Dei, & Be-
thel, Ecclesiæ Deo dicatæ vo-
cantur, in quibus fideles, men-
tis per orationem, tanquam
per scalam ascensu, ad Deum
se elevant, & ascendunt, in-
ternunciis & patrocinantibus
sanctis Angelis, qui non tam
U 2 oratio

Erigitur
altaria,
& sacrifi-
camus

S. Aug. de
C. D. l.
22. c. 10.

Deo, non
Sanctu.

Ibid l. 8.
c. 27.

(II)

Ecclesia
domus
Dei

orationes nostras, quam sacratissimum sacrificium (in quo Dei filius sub speciebus sacramentalibus usque ad consummationem sæculi affectuosissimè nobiscum cohabitans offertur) Patri æterno pro nobis offerunt: Quare meritò cum S. Patriarcha exclamare nobis licet:

Est celi.

Verè Dominus est in loco sancto isto! Quàm terribili est locus iste! Non est hic aliud, nisi Domus Dei & porta celi, imò ipsum cælum.

Ecclesia (ait Chrysostomus.)

Chrysost. hom. 36. in 1 ad Corint.

non est constrina, aut unguentaria taberna, aut officina forensis, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia celi, cælum ipsum.

In cælo mysteriosum, & grave silentium factum fuisse, memorat dilectus Christi discipulus in sua Apocalypsi: Factum est silentium in cælo. Accedit, quòd in illo templo gloriæ, summâ astent modestiâ, & reverentiâ spiritus illi cœlestes coram throno divinæ Majestatis, uti de Seraphinis expressè testatur Isaias: Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus.

Apoc. c. 8. v. 1. Silentium in cælo. Isa. c. 6. v. 2.

Locus Angelorum, Regia celi, cælum ipsum esse Ecclesiam Deo consecratam audivimus, quidni ergo silentium deceat cœlestem hanc regiam, Ecclesiam? quidni cum reverenti silentio verbum Dei in illa au-

Idem servandum in Eccles.

dire, & sacris interesse mysteriis conveniat? Quæ phantasia, quæ petulantia invertunt corda vestra, quæ xantes ranæ, strepitantes hirundines, loquaces mulieres & viri, qui in cœlesti Ecclesie curia, non dico, turpiloquia, aut scurriloquia, at saltem vaniloquia instituitis?

An non demos habetis ad loquendum? ait Chrysostomus, an non habetis domum ad rugandum? An non habetis forum ad conferendum?

An non tabernas ad emendum, & vendendum? An Ecclesiam Dei contemnitis? Adhuc minaciùs idem sanctus loquitur hom. 24. in Act. Apost. Loquentes, vel ridentes in templo, digni sunt, non qui verberare, sed fulmine de cælo feriuntur. Quid enim de Ecclesia judicatis protervi, & irreverentes mortales? An Ecclesiam Dei constrinam, unguentariam tabernam, aut officinam forensis esse creditis? Erratis vani, & irreverentes mortales, & multum aberratis, Ecclesia locus Angelorum, & cœ-

lum ipsum est, quod silentio honoratur. Hic nihil, nisi sancta, sonare decet (addit præfatus antistes,) nihil nisi laudes, & hymnos sacros, te decet hymnus Deus in Sion, ait Psalter regius: Hebræa habet: Tibi silentium Deum in Sion. Magis enim pio & reverenti silentio, quam canticis & organis in

Eccle-

Nil nisi sanctum sonare decet.

Psal. 64. v. 1.

Ecclesia honoratur Deus. Si quidem tamen cum Psalms: ista regio, etiam in tympano, & choro in chordis & organo laudare Deum placeat, saltem nihil, nisi sacra sonare decet: Non gallicam levitate currentes nec oculos, non symphonias saltitantes, chorari sciendis, quam excitandam devotioni aptiores, non rugas & vanitates musicas sonare decet in Ecclesiis, quas tanquam regiam caelestem sacrum decet silentium.

In Ecclesia sumus iores sena-xi de dca i guria

IV.

Maxime autem in hoc Angelorum loco: & Regia caelesti, cum sacris seraphim, & ora, & manus, & pedes reverenter & humiliter decet contingere. Prout in uiribus maxime praecipit Apostolus; Ideo debet mulier potestatem, (alij, inter quos & Hugo, legunt velamen) habere supra caput, propter Angelos: Angelorum enim locus, uti dictum, est Ecclesia, in qua non solum Angeli divinis ministrant mysteriis invisibiliter, sed visibiliter sapenumero assistere visi sunt. Quamvis per Angelos, Doctor Angelicus, Hugo & alij intelligant Sacerdotes, ob quorum reverentiam, & cautelam mulieres non nisi velatae compareant in Ecclesiis, ut paucis dicam, voluit Apostolus, teste Lyrano, quod mulieres debent orare velatae.

Mulier velari debet.

1. Corint. 11. v. 10.

Propter Angelos.

Nempe Sacerdotes.

Lyranus hic.

Sed heu quam rara haec Seraphica mulierum in templis Religio & casta reverentia invenitur, etiam nunquam magis, quam Ecclesiam accessura, alas, & corporis sui pudendas officinas expandunt: nudata non tantum facie, non erecto tantum & nudato à collaribus collo, sed denudato insuper pectore, & brachiis, speciem suam lascivis oculis prostituentes, & hoc coram Angelis, imò coram Angelorum rege Christo Jesu, in Ecclesia Regia caelesti.

V.

Piscantibus in mari discipulis stetit Jesus in litore, non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. Primum tamen illum agnovit dilectus discipulus, uipote virgo, puriori oculorum acie praeditus, qui mox petro dixit: Dominus est. Simen Petrus, cum audisset, quia Dominus est, tunicam succinxit se, erat enim nudus. Misit se in mare, scilicet ad dulcissimum Magistrum perreclusum. Petrus tunc se, accersit ad Christi.

Joann. 6. 21. v. 40

Petrus tunc se, accersit ad Christi.

Sed si natando per mare properabat ad Dominum, quid opus tunicam tegendo corpori?

Denu-



Denudandum potius, quam vestibus onerandum corpus erat, quò ad natandum foret expeditius. Quid ergo tunicam succinxit se? *Ut cum majori reverentia accederet ad Christum*, responderet Lyranus, erat enim nudus; nudato pectore & collo, nudatis brachiis, piscatorum more, incedebat in navi Petrus, sic ergo nudus coram eo comparere non est ausus, coram quo faciem & pectus, & pedes alis reverenter contegunt Seraphini.

At hodie (pro dolor!) impudentes ætatis nostræ fœminæ, licet in domo tunicis, velaminibusque contexta, in Ecclesiam tamen proditura ante conspectum Angelorum, ipsiusque cœli Monarchæ Christi Jesu in venerabili Sacramento, velamina rejiciunt, nudum pectus, collumque prostituunt manicas ad cubitos usque retorquent, ut nudato pectore, & brachiis, non ad precandum, sed ad piscandum progressæ videantur, ad captandos, & inescandos Moabitas, scilicet Carnales sensus, quos sciunt ingredi Sanctuarium Dei, de quibus præceperat, *ne intrarent in Ecclesiam tuam.*

Hac ratione Sanctuarium Dei fit theatrum vanitatis, forum concupiscentiæ, officina lasciviæ, pudicitæ prostibulum,

oculorum pascuum, vaniloquiorum gymnasium, quibus ille, qui prunas ardere facit, in cordibus impurum incendit ignem, cujus fumus in conspectum Dei indignantis ascendit.

Quis iste fumus est (exclamat Chrysolostomus) *tam gravis, tam molestus? Multi ad formas mulierum afficiendas in Ecclesias veniunt, deinde non mireris, quomodo undique fulmina non deseruntur? Quomodo cuncta funditus non evertuntur.* Hæc enim non fulminibus solum, sed etiam gehennæ supplicio dignissima sunt.

Non planè mirum, quòd fulminibus Deus & tempestatibus destruat segetes, igne ferroque everti patiatur Ecclesias, quas tam irreverenter fideles quandoque tractant, in iis enim (conqueritur Deus per Jeremiam) *vertunt ad me tergum, & non faciem; Vanitatibus, & concupiscentiis suis attentis.* Contra quos acriter apud Jeremiam demum intonat Deus: *Quid est, quòd dilectus meus, in domo mea fecit scelera multa?* Maximè hæc in domo, & templo suo conqueritur Deus, perpetrata ab his, qui non veniunt in spiritu in templum, sed in carnalibus desideriis, teste namque Origene, *interest peccare in sanctis, & peccare extra sancta, injustitiæ enim risus, vaniloquia, turpiloquia, lasciviæ & petulantia est.*

extra

Lyranus hic.

Ex reverentia

Mulieres denudata

Tanquam ad piscandum progrediuntur.

VI. Ecclesia fit prostibulum.

extra sancta commissa, peccata sunt, sed in sanctis commissæ, scelera sunt, à Deo graviter vindicanda.

VII. Exemplariter advertunt magnates in delicta, in propriâ suâ residentiâ, ipsâ præsentem majestatem Regiâ, commissa. Accusato per Reginam Esther perfido Amano, ira Rex succensus in proximum arboribus constitum hortum regium ad digerendum furorem egressus est. Interim timore attonitus Aman, ad lectulum Reginæ corruit tremebundus, veniam & gratiam supplex rogaturus, quem ut rex ex horto reversus super lectum, in quo recumbat Regina, corruisse vidit, indignabundus: *Etiâ Reginam (ait) vult opprimere? Me præsentem? In domo mea?* Statimque Aman velatis oculis ad furcam, quam Mardocheus paraverat, suspendendus rapitur.

Esther, c. 7. v. 7.
Indignatur Assuetus contra Aman.

Sic & Christus

Contra lascivioses,

Ubique quidem enter, realiter, & potenter præsens est Deus, qui & ubique terrarum graviter offenditur, singulari tamen, & miraculosâ ingeniosi amoris inventionem, in Ecclesiis præsens est Christus, Dei filius, sacramentaliter, magno stipatus Angelorum numero, licet & aulicorum suorum assistentium præsentiam, suamque imprimis majestatem imperceptibili miraculo obvelet.

Cum ergo Christiani vivâ fide de ejus præsentia nequaquam dubit, tamen in ejus reali, & sacramentali præsentia, & in domo ipsi solemniter consecrata peccare non erubescunt, merito Dei filius, (velatis licet, sub sacramentalibus speciebus, suis sensibus) divinâ tamen suâ omniscientiâ fidelium delicta aspiciens, merito contra eos gravissimè indignatur. *Quid est, quod dilectus meus fecit scelera multa? Quid est, quod lascivis oculis, verbis, nutibus, & desideriiis exarsit? Me præsentem, sacramentaliter? In domo mea? In Sanctuario meo? Non hæc peccata, sed scelera reputanda sunt, hæc in sanctis commissa, æternis gehennæ suppliciiis vindicanda.*

Se præsentem, in domo sua.

Si tanta severitate, & zelo insolito contra eos Christus advertit, qui oves, & boves, aliâque ad sacrificium necessaria non in ipsâ domo, sed in atrio tantum domus Domini vendiderunt, de eo facientes domum negotiationis, quam duris Christus flagellis in dorsum eorum fabricasset, si non solum in atrio, sed in medio domus Dei, & Sanctuarij non tantum negotiationes, sed alias quoque abominationes fecissent, non in illud tantum animalia munda, sacrificiis destinata sed etiam porcos immundos inducendo.

VIII.

Ioan. c. 2. v. 14.

Atrij videlicet.

Et

*Ecclesia
vetus non
nisi atriū
& umbra*
Et tamen ipsum Synagoga
Judaicæ Sanctuarium, non nisi
atrium, imò vix atrium Eccle-
siarum nostrarum dicendum,
sed solum umbra, & figura,
cum non ipsum Deum, ac Sal-
vatore[m] nostrum, sed tantum
umbra[m], & figuram, scilicet
Manna, Arcæ fœderis, inclu-
sum habuerit, tantâ tamen re-
verentiâ veneratum, ut nemo
intrare Sancta Sanctorum per-
mitteretur, quantumvis Deo
consecratus, nisi *semel in anno so-
lus Pontifex.*

Hebr. 9.
y. 7.

*Nostra
sunt vera
Sancti
Sanctorū.*

Verum porro Sanctuarium,
& Sancta Sanctorum sunt Ec-
clesiæ nostræ, ab ipso Dei Filio
realiter, & sacramentaliter
præsente, inhabitata, & ta-
men in Sanctuarium videmus
ingredi gentes immundas, con-
cupiscentias, & carnales sen-
sus, aguntur in illud fœtidissi-
mi porci, & fit ipsum subinde
non tantum domus negotiâ-
tionis, sed abominationis non
ipsum solum atrium, sed San-
ctuarium templi, contra quos
Deus per Ezechielem detonat:

Ezechiel.
c. 14. v.
39.

Jerem. c. 7
v. 4.

*Hæc fecerunt in medio domus meæ.
Gloriamur nos Christiani in
templis nostris, & in iis con-
fidimus, sed merito nobis illud
Jeremiæ obtruditur: Nolite
confidere in verbis mendacii, dicen-
tes: Templum Domini, Templum
Domini, Templum Domini. Ne
habeamus fiduciam in splendore edi-*

*ficiorum, ait glossa; si debita re-
verentia ea non tractemus, sed
peccatis polluamus.*

IX.
His enim sceleribus justè ir-
ritatus Deus, templa, & cum
ipsis templis tam irreverenter
frequentatis, & violatis, ipsam
fidei Religionem, & Dei agni-
tionem multis civitatibus, Pro-
vinciis, & Regnis subtrahit,
uti etiam olim Judæis ob neg-
lectam, licet umbratici tantum,
templi sui reverentiam fecerat,
quibus (ut inde tantæ calami-
tatis originem exortam non
dubitarent) ostendi digitis rui-
nam templi Deus per Ezechie-
lem mandavit: *Tu autem fili ho-
minis, ostende domui Israel templum,
& confundantur ab iniquitatibus
suis, cū n viderint se carere tali tem-
plo propter eas, glossatur Hugo,
& erubescant ex omnibus, quæ sece-
runt, ex omnibus scilicet abo-
minationibus, quas in ipso
templo fecerunt, superius ca-
pite octavo per Ezechielem de-
scriptas, quibus ita offensum se
protestatur Deus, procul rece-
dam à Sanctuario meo, quasi dice-
ret, ipsi me suis sceleribus templo abi-
gunt, & cogunt recedere, uti cum
S. Hieronymo explicat Cor-
nelius.*

Propter
irreveren-
tias.

Deus au-
fert tem-
pla.

Ezechiel.
c. 34. v. 10

Hugo hic

Ezechiel.
c. 8. v. 6.
& seqq.

Ne ergo Deus à nobis rece-
dere, & Sanctuarium suum à
nobis auferre, illudque infide-
libus gentibus in prædam &
conculcationem dare cogatur,
sum-

summâ utique reverentiâ illud frequentare convenit.

ii Reg. c. 5. v. 2.

Limen, super quod iacuit Dagon.

Non colabant Philistæi.

Limina templorum et inania Cornelius hic.

Arcam Dei captam juxta Dagon Deum suum Philistæi statuerunt in Azoto, sed ipse Dagon de loco suo præcipitatus divina virtute pronus jace-
re in terra ante Arcam Domini, altera die, inventus est, quem licet loco suo restituisent, tamen manè die altera consurgentes invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini, caput autem Dagon, & dua palmæ manuum ejus, abscissa erant super limen. Valde autem notabile est, quod sacræ literæ addunt: Propter hanc causam non callant sacerdotes Dagon, omnes, qui ingrediuntur templum ejus super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem. Tanta reverentiâ colebant locum, ubi abscessisset, vel potius jacuerant pedes Dagon.

Si ita Philistæis venerabilis & terribilis videbatur locus, ubi jacuerant pedes Dagon, quàm terribilis, ac venerabilis erit domus, & Ecclesia Dei viventis, in qua Dei viventis non tantum vestigia, sed reale corpus præsens habemus? Hinc Christianos olim limina templorum osculari solitos, Cornelius testatur. Et siquidem hodieque Christiani loca, nascentis, & patientis Christi vestigiis decorata, tantâ vene-

ratione colunt, ut per mare per terras inter maxima discrimina illuc tendant, illo se regii psaltis verbis animantes, introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus, Pf. 137. cur non eadem reverentiâ accedamus sacratas Deo Ecclesias? Non longis opus peregrinationibus, & navigationibus? Ecce in Ecclesiis omnibus posuit Deus tabernaculum cum hominibus, illuc introeamus cum reverentia, adorantes locum, ubi steterunt non solum pedes ejus, sed adhuc realiter verus Deus & homo Christus Jesus sub speciebus sacramentalibus subsistit, non in umbra tantum & figura, sed reali præsentia sacratissimi Corporis, & sanguinis sui. Si ergo Propheta umbram solummodo, & figuram sic veneratus est, solidè infert antistes Valentinas: Quid putas fecisset David, quid Elias, quid Samuel, Isaias, Daniel, & ceteri sanctorum, si Dei maiestatem in suis delubris præsentem, sicut nos habuissent? Quo honore, quo timore, qua reverentiâ coluissent? Qui sic venerabantur umbram, quomodo ipsam coluissent veritatem? Dic obsecro, frater charissime, esne Christianus? credisne quod offertur, quod consecratur? Si credis, quomodo audes irreverenter assistere tantæ majestati, quomodo negligis debi-

X.

Quid opus peregrinatione?

Christum præsentem habemus sacramentaliter.

S. Thom. Villan. in Dedio. Eccl.

X.

P. Franc. Josephi Op. IV.

Jacob. 2.
v. 19.

debitam exhibere ei reverentiam? *Dæmones credunt, & contremiscunt*; Et tu credis, at rides? jocularis? nugaris? Ostende fidelibus templum, & confundantur, ut angelicâ, & Seraphicâ reverentiâ, humilitate, & silentio adorare discant, quem in Ecclesia Dei præsentem adesse credunt Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.



DISCURSUS XX.

Iod.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus. *Thren c. 1 v. 10.*

DE ANIMA.

Quibus Anima bonis per peccatum spoliatur?

1.

Civitate seu fortalitio per hostem armatâ manu, & per assultum capto, incolæ, qui primo gladij furori se subdixerunt, vinculis, aut saltem captivitati mancipantur, datâ in prædam hostibus omni eorum substantiâ; omnia scrinia & cistæ securibus, aut aliâ violentâ manu rumpuntur, mittitque hostis manum suam ad omnia desiderabilia ejus.

Infelicem etiam hanc sortem cecidisse super Jerusalem à Chaldeis captam deplorat Jeremias;

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: nec ipso parcens templo, ornatum, & vasa ejus aurea diripiendo. Sed non benigniori, imò crudeliori furore, & immanitate malignus hostis, animam peccatricem violentâ manu sibi subactam, & captam deprædatur, uti in morali glossa advertit Lyranus: *Manum misit hostis diabolus; ad omnia desiderabilia ejus, id est, ad auferendum bona gratiæ, & virtutum, & quicquid desiderabile, ac pretiosum à Deo anima accepit.*

Licet tota Jerosolymorum Civitas

Civitas cum omnibus suis inco-
lis funestum, & lamentabile to-
ti orbi spectaculum per Chalda-
os factum sit, maxima tamen
miseriarum amaritudo, & angu-
stiarum acerbitas in ipsum fu-
gitivum regem Sedeciam effusa
est, intempestâ nocte cum suis
ad viam deserti egressum, sed in
ipso campo solitudinis Jerichon-
tinæ è fugâ à Chaldæis retra-
ctum, atque ad regem Nabu-
chodonosor in Reblatha addu-
ctum. Et locus est ad eum judicium
rex Babylonis, irâ fremens in
perfidû Sedeciam, sed non con-
tentus acerbis minis & verbis,
occidit Rex Babylonis filios Sedecia in
Reblatha, in oculis eius. & omnes no-
biles Iuda occidit Rex Babylonis, ocu-
los quoque Sedecia eruit. & vinxit eum
compedibus, ut duceretur in Babylone-
nem. Addunt expositores, Se-
deciam quasi feram caveæ inclu-
sum in Babylonein deductum,
eum hostis jam milisset manum
ad omnia desiderabilia ejus.

Sedecias iustus Domini inter-
pretatur, quare magnus Gre-
gorius optimè monet, quod Je-
remias, dum Sedecia captivitatem
narrat, ordinem captivitatis internæ
denuuntiat: Rex quippe Babylon est an-
tiquus hostis, possessor intimæ confusio-
nis; iste longa obsidione pressam
occupat Jerusalem, animam pec-
catricem, sibi que subijcit Se-
deciam, iustû Domini. Nam occu-
patis, per malignum hostem portis

sensuum externorum, fit miser
Sedecias fugitivus à facie Domi-
ni, ac per viam deserti (dereli-
cto Deo) incedens à Babyloni-
co tyranno comprehenditur in
campo solitudinis Jerichontinæ,
instabilis, & lunatici mundi, spo-
liandus omni dignitate, ac celsi-
tudine regiâ.

Est quippe Anima iusti excel-
sa, & super creaturas terrenas
omnes sublimata Regina, uti in
Canticis dicitur: Sexaginta sunt
Reginæ; In quæ verba sic com-
mentatur Cardinalis à S. Caro:
Reginæ sunt, quæ Regem Christum
casto amore diligunt, & filios gene-
rant. &c. Et inter has una est colum-
binea, ad unum solum creata. Vi-
derunt eam filie Sion, & beatissimam
predicaverunt, & Reginæ laudave-
runt eam. Reginæ sunt animæ (do-
cet S. Augustinus) regnantes in
intelligibilibus, & spiritualibus: vel
etiam, juxta mentem Cornelij, quæst. 9.
animæ, Reginæ vocantur, eò,
quòd regnent peccato, ac imperent
suis passionibus, cupiditatibus,
& inordinatis appetitibus, resi-
dentes in Jerusalem, quæ est vi-
sio pacis.

De ejusmodi quoque Regina psal. 44.
Propheta regius canit: Astitit
Regina à dextris tuis, in vestitu, scili-
cet virtutum, quæ sunt vestes animæ,
glossatur moralis, deaurato, sci-
licet charitate, quæ est forma virtu-
rum, circumdata varietate, scilicet bo-
norum operum.

X 2

Anima
Reginæ

Cant. c. 6.

v. 7.
Hugo
Card. hic

S. Aug. l.
883.

quæst. 9.
eò, 53.
Cornel.
hic

psal. 44.
v. 10.

Glossa
moral.
Amittis
ornatum
regium
Si

Si ergo confractis externorum sensuum portis hæc Regina, Justitia Domini, sive anima justi, fugitiva à Deo, & inter Jerichontinæ solitudinis vanitates, in Babylonicis, infernalis scilicet, tyranni potestatem devenit, sceptrum ipsi, & virgam directionis & æquitatis è manibus, coronam dignitatis à capite rapit, ut facta vilis, inter tumultuosam passionum, & cupiditatum suarum plebem, amissa pacificâ residentiâ Jerusalem, quasi in Babylonicâ confusionis turbulentam captivitatem detrudatur, vestitu virtutum, auro charitatis, & varietate bonorum operum spoliata.

III.

Sed his non contentus spoliis Babylonicus tyrannus, animam, regali jam dignitate, & potestate exutam, innatâ, & naturali spoliat libertate, è Regina famulam, è famula vile faciens mancipium: *A quo enim quis superatus est, huius & servus est.*

Quemadmodum igitur servus omni suo labore & industriâ nihil sibi acquirit proprium, sed communi gentium, & civili jure statutum est, quodcumque per servum acquiritur, Domino acquirit. Sic etiam anima per peccati reatum in servitutem diaboli delapsa, nihil sibi de condigno (sequor terminos & modum loquendi Seraphici mei Doctoris) mereri potest operibus quantumvis pæ-

nosus, & moraliter bonis, non quòd desit ipsi libertas voluntatis, & liberi arbitrij, sed libertas dignitatis, & status, gratiæ scilicet sanctificantis, & gratum facientis, qua homo in libertatem, & ex servo filius & hæres Dei constitutus, imediante bonis operibus suis per gratiam ad merendi dignitatem elevatis, gloriam, ejusque augmentum mereri potest.

Deploranda ergo spiritualis servitutis miseria est, quòd anima diaboli facta mancipium, & instar Sedecia compedibus vincita, ac ferrea quasi cavea conclusa, in Babylonica sua vitiorum confusione in vanum laborat, sine vero, & propriè dicto merito condigni. Hanc status sui vilitatem altis deplorat singultibus peccatrix anima, *Vide Thren. c. Domine, & considera, quoniam facta sum vilis. Vilis, & simul ad merendum impotens, & infirma: Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manum, de qua non poterò surgere.*

Sedeciam Regem captivum, Rex Babylon vinxit compedibus, lamentabiliter conquerentem; *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meam. Nec minus cum Sedecia, captiva ingemiscit anima, circumædificavit adversum me tartareus hostis, in consuetudinem peccatorum inducendo, quæ laqueus est*

Et quietè regni.

2. Petr. c. 2. v. 19.

Fit mancipium.

Instit. l. 1. c. 8.

Nil sibi lucrari, & mereri potest.

Thren. c. 1. v. 11.

v. 14.

Ligatur

compedi-

bus.

Thren. c. 3. v. 7.

est impediens egressum de peccato
 Gloffa (ait gloffa moralis) sicut filium,
 mor. quod tenet avicula per pedem ligata,
 impedit eam, ne simpliciter avolet;
 Mala con- ideo sequitur: Aggravavit compedem
 suetudini meum, per habitum vitiosum, ex
 consuetudine acquisitum. Conclu-
 sit vias meas procedendi in bonum,
 lapidibus quadris, id est, peccatis,
 quæ quatuor habent angulos, scilicet
 Peccatum Dei offensam, obligationem ad pœ-
 quas: uor nam, gratiarum spoliationem, &
 affert ma- naturalium vulnerationem. Sic
 la, amissa regio ornatu, dignitate
 & libertate, turpi, ac diræ man-
 cipatur (servituti Sedecias, ju-
 stus Domini, & anima in pec-
 Thren. c. catum prolapsa, & egressus est à
 v. 6. filia Sion omnis decor eius.

IV. Summa autem miseriarum
 amaritudo erat afflicti ssimo Se-
 decia, cruentum, & funestum
 spectaculum, quod paternis o-
 culis immanis Rex Babyloniae
 exhibuit in crudeli filiorum
 Ierem. c. mactatione; Et occidit Rex Na-
 buchoodonosor filios Sedecia in oculis
 39. v. 6. eius. Quis unquam funestio-
 rem vidit tragediam? quid un-
 quam lamentabilius? Dum rex
 captivus cruentam filiorum ne-
 cem propriis spectare oculis
 Filij tru- coactus, tot ipse læthales in
 cidati, corde ictus sensit, quot filio-
 rum cædes spectavit, oculorum
 solum beneficio adhuc donatus
 ut multiplicatas, in filiorum
 mactatione, mortes sustineret.
 Non parcit Sedecia, pecca-

trici anime Babylonicus infe-
 rorum tyrannus in eodem crude-
 litatis genere, in oculis capti-
 vae animæ, carissimos ejus par-
 tus, & filios trucidans. Et
 quinam hi filij, ab anima in sta-
 tu justitiæ cum dolore in lucem
 editi? cum labore nutriti? ^{Sunt bona}
 cum solitudine educati? Non ^{opera n-}
 alij planè, quàm ipsi actus vir- ^{missa &}
 tuosi, opera bona, pœnitentiæ, ^{merita.}
 misericordiæ, &c. cum magna
 nonnunquam refragantis natu-
 ræ corruptæ violentia, & cer-
 tamine peracta, quæ tamen ho-
 stis tartareus occidit: Filios
 (scribit S. Gregorius) ante in- ^{S. Greg.}
 tuentis oculos trucidat, quia sepe ^{cit. Idem}
 sic bona opera interficit, ut hæc se ^{habet pœ-}
 ammittere, ipse, qui captus est, do- ^{Dam. a-}
 lens cernat. ^{pad Corn-}

Maximam hanc Sedecia (ju-
 sto in peccatum lapsa) pœnam,
 & insupportabilè jacturam de-
 nuntiat Deus per Ezechielem: ^{Ezech. 18. 24.}
 Si averterit se iustus à iustitia sua, & ^{18. 24.}
 fecerit iniquitatem... Omnes iusti-
 tiæ eius non recordabuntur. Om-
 nes iustitiæ, quas fecerat in gratia
 existens (explicat Lyranus,) non ^{Lyranus}
 recordabuntur, ad præmiandum ^{hic.}
 æternaliter. O Damnum inex-
 plicabile! jactura inæstimabi-
 lis! ut tanto labore progeniti, ^{Non re-}
 & nutriti filij, tanto sudore, & ^{cord. absum-}
 violentiâ elicitu virtutu actus, ^{tur am-}
 & collecta merita, uno ictu ^{plime.}
 mactentur, & trucidentur:
 Omnes iustitiæ non recordabuntur.

X 3 Quod



Magni vi-
ri miserè
lapsi.

Quod irreparabili damno suo
olim viri clarissimi & in Eccle-
sia, vitæ integritate, & libris
famosissimi experti sunt, inter
quos Origenes, Lucifer Epif-
copus, & alij rigidissimæ vitæ
Eremitæ, qui à justitia sua a-
versi, omnes filios, omnia o-
pera, laboriosos partus meri-
torum, plurimis annis cumu-
latorum, in uno ictu oculi, ma-
ctatos, & trucidatos suo dam-
no senserunt; omnes iustitiæ eius
non recordabuntur.

V. Optimè tamen annectit Ly-
ranus, si perseveraverit in malo.

Lyranus.

Quâ enim horâ, & momento
conversa fuerit ad Deum ani-
ma peccatrix, à Deo sanctifi-
cante gratia rursus donatur, &
de omnibus amissis meritis, &
bonis operibus in integrum
restituitur, adeò ut filij truci-
dati, & mortui, (vel potius
mortificati) reviviscant. Si
autem (ait Lyranus) recuperent
gratiam, vivificabuntur & sic præ-
miabuntur, non solum temporaliter,
sed etiam æternaliter.

Ea aliqua-
liter in
statu iniu-
sticiæ respi-
cit Deus.

Advertendum etiam in alle-
gato passu, quòd licet se de-
claret Deus, quòd justitiæ ejus,
qui in peccatum, & statum in-
justitiæ lapsus est, non recor-
dabuntur, ad præmiandum sci-
licet æternaliter, tamen etiam
credibile est, merita, & ope-
ra bona præterita, in statu gra-
tiæ exercita, non ita ex memo-

ria, & oculis Dei esse deleta,
quia etiam ea Deus in statu in-
justitiæ in tantum respiciat, ut
lapso peccatori cum divinæ sue
gratiæ auxilio eò citius & effi-
caciùs subueniat, excitet, & è
tartarei hostis captivitate unà
cum amissis meritis eripiat,
haud secus, quàm olim Patriar-
cha Abraham nepotem suum
Loth cum omni substantia, &
familia, ex hostium manibus
ereptum pristina restituit li-
bertati.

Genes. c.
14. v. 16.

Neque etiam anima in pec-
catum lapsa, ideò bene operari
desistat, nam licet nihil de con-
digno, nec primam gratiam me-
reri possit, gratia sanctifican-
te, seu iustificante, privata, cum
careat dignitate, tamen de con-
gruo, & congruè se disponit,
ut eò facilius oculos misericor-
diæ in eam Deus conjiciat:
quare bene operari, nunquam
desistere debet homo, sed divi-
næ gratiæ implorare auxilium,
ut ad hostem insequendum, &
detrahenda spolia confortetur.

Disponit
bona opera
cògruè ad
gratiam.

Summè verò deploranda il-
la anima est, quæ miseriæ suæ,
& amissi thesauri & jacturæ
inestimabilis immemor, nec
Dei auxilium implorare, nec
oblatum gratiæ auxilium ac-
ceptare sustinet: Nec virtutis
brachium (ait Gregorius) con-
tra Regem Babylonis levat: Et hoc
vel ex inordinato timore, &
pusil-

s. Greg.
cit.

pusillanimitate, aut ex stupiditate & cæcitate, qua jacturam meritorum, & gratiæ aestimare negligit: Nam quanto magis malis adheret, tanto minus intelligit bona, quæ perdit, asserit S. Gregorius.

VI. Hæc animæ excæcatio maxime etiam in Sedecia figuratur, de quo Jeremias affirmat: *Oculos quoque Sedecia eruit.* Tam altè Judæorum corda vulneravit, & ad compassionem movit hæc immanis Sedecia excæcatio, ut pro ejus memoria annum indixerit jejunium, sexto die, mensis octavi ob excæcatum Sedeciam. Advertit ergo Petrus Damianus, quòd Rex Babylon inde Sedecia oculos eruit, *quia malignus spiritus, subtrahit prius bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit.* Id Sedecias patitur in Reblatha, quæ interpretatur, *multa hæc; ei namque rationis lumen merito clauditur, qui sanctæ quietis rigore postposito, per negotia mundana raptatur, cum contempto uno, per multa vagus, & impatiens animus dissipatur.* Iisdem pene verbis utitur S. Gregorius, & concludit, quòd anima peccatrix in Reblatha (multa hæc) excæcatur, dum ex iniquitatis (sue multitudinis) gravatur.

Hanc cæcitatem suam anima indictis sibi jejuniis & pœnitentiæ operibus annuis, inò quotidianis deslere deberet, ex-

emplo pœnitentis Petri, qui lacrymis quotidianis ad gallitantum, præteriti delicti cæcitatem deslevit, tam copiosè & ardentè, ut quasi Sulcos genis calidæ & amaræ imprimerent lacrymæ.

Inter alias gravissimas Sedecia captivi afflictiones erat non minima, quòd ante irati, & præ furore ardentibus oculis inflammati, & spumantis Regis Babylonici conspectum adductus, acerbis & fulminantibus verbis detonantem ipsius vocem audire debuit. *Et locutus est ad eum iudicia.* Dum nempe Nabuchodonosor acriter, & justè pro meritis Sedeciam infidelitatis, & ingratiitudinis arguit, quòd scilicet Rex à se constitutus pro Joachin, fœdus secum initum violasset. Addit Lyranus, Sedeciam per Deum jurasse fidelitatem Nabuchodonosori, qui proinde pro Mathania, vocavit eum Sedeciam, id est, Justitiam Dei, ut eum nomine suo moneret de fide, & justitia, sanctè, & constanter servanda, quòdque non tantum sibi, sed etiam Deo esset injuriosus, perfidus & perjurus, si eam violaret. Hoc ergo ad literam Sedecia exprobravit Rex Babylonius, hæc sunt iudicia, quæ locutus est ad eum. Quæ perfidia, & infidelitas, Sedecia coram proceribus Babylonis

V.l.

Locutus
iudicia
Rex contra
Sedeciam.

Cornelius
hic.
Excæcatio
Sedecia.

Pet. Dam.
l. 2 Epist.
4. ad Hil.
de pran.

Id est ani
ma.

S. Greg.
cit.

niciis in faciem exprobrata acrius utique Sedeciam uisit, quam si in frustra statim fuisset concisus.

Severa non minus, & acerbata Deus, contra animam peccatricem è corpore egredientem, loquetur iudicia, infidelitatis & ingratitude cam arguens, quòd scilicet propter illius salutem de cœlo descendens, ad eam de potestate inimici redimendam, proprium sanguinem pro pretio redemptionis effuderit, eamque inter mille electam, de fidelibus parentibus natam, sacro fonte baptismatis regeneratam, Christiano nomine insignitam, omnia cœlestium mysteriorum secreta ipsam per fidem docuerit, non eam ut mancipium, sed charissimam amicam, imò & sponfam tractans, & omni charitatis, & benevolentiae genere fovens. Uno verbo: *Quid est; quòd debui ultra facere, & non feci?* Tanta scilicet beneficia (qualia nec ipse homo sperare, aut præterdere præsumpsisset) in eam conferens.

Loquetur ergo contra perfidum Sedeciam, hominem peccatorem, iudicia iustus Judex; Nonne tantis à me cumulatus beneficiis, & in baptismo, diabolo & pompis ejus renuncians, mihi que fidelitatem jurans, perjurus contra me, diabolo, &

quod non nisi perditionem tibi aeternam condicere poterant) te junxisti? & servato tantum Christiani nominis titulo, vitam gentibus similem duxisti, nomen meum (à quo te Christianum nominasti) malà tuâ & scandalosâ vitâ blasphemans? Vade ergo maled ète in ignem aeternum. Adeste Justitiæ meæ executores, tyranni Babylonici, lictores infernales, *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Contra peccatorem vinculis tartareis indissolubiliter ligatū, non minus loquetur iudicia infernalis tyrannus. Quòd tu te peccator adegit vesania, quòd *Deum, qui te genuit, dircliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui?* Imò non tantum creatoris, sed & redemptoris? Si pro me Dei Filius de cœlo descendisset, suo me sanguine redempturus, nunquid aeternum ipsi me flectere, & subjicere paratus esse debuissim? Equidem obstinatus permansi contra Deum reprobantem me, tu contra morientem pro te, ego contra Deum è regno suo dejicientem me, tu contra eum, tam affectuosè vocantem, & invitantem te. Adhæsisti mihi, & secutus es me, qui nec creavi, nec redemi te, nec ullam servitutiss

Index exprobratis ingratitude animam.

Mat. c. 22. v. 13.

Anima peccatrici

Matth. 22. v. 13.

Eriam de mox loquitur iudicium.

Deut. c. 32. v. 18.

tutis tuæ mercedem, quàm me-
am in pœnis societatem promi-
si. Ingredere in locum tene-
brarum, & miseriæ, inferna-
lis Babylonis confusionem, &
ignem, qui paratus est mihi, &
maledictis Angelis meis. Vin-
ctam ergo animam compedi-
bus ducent in fornacem arden-
tem Babylonis infernalis.

IX. Tanta fuit Sedeciæ captivi,
liberis orbat, excæcati, com-
pedibus vincti, & in carcerem
Babylonis detrusi miseriæ, ut in
parabolam, & proverbium a-
pud Judæos verteretur, ut sci-
licet malè alicui insigniter pre-
caturi, dicerent: *Contingat ti-
bi, quod contigit Sedeciæ Regi Ju-
dæ.* Vel, *Plaga Sedeciæ tangat te.*
Aut denique, *Sis frater, & socius
Sedeciæ.*

Sed longè formidabilior est
imprecatio & maledictio, si cui
dicatur: *Plaga peccatoris tangat
te. Sis frater, & socius peccatoris.*
Que enim majus malum con-
tingere homini potest, quàm
ut hostis infernalis manum mit-

tat ad omnia desiderabilia ejus,
omnibus meritis, bonis gratiæ
& virtutum illum spolians, ut
captivus diaboli, perditis om-
nibus bonorum operum filiis,
excæcatus & vinctus compedi-
bus, tradatur in tortorum ma-
num, de qua æternum non pos-
sit surgere, nec egrediendi
spes ulla affulgeat. Hoc est
enim dicere; Plaga peccatoris
tangat te, sis frater, & socius
peccatorum.

Ne ergo in tantum miseria-
rum detrudamur barathrum, &
plaga aut maledictio Sedeciæ,
peccatoris, nos tangat, fideles
nos erga Deum & Redemptorẽ
nostrum benignissimum exhi-
beamus, promissam in sacro
fontis Baptismate fidelitatem
servemus, in quo Christiani
nomen nobis est inditum; Hanc
ergo si Deo nostro fidelitatem
servabimus, ipse non Reges
cœlestis Jerusalem constituet,
secumque in cœlis æter-
num corregnare fecit,
Amen.

